

... tunc debet expectare sententiam Divortii. Sanchez lo. cit. n. 5. & Disp. 12. Pirhing h. t. n. 35. & communis aliorum. Hinc si absque tali sententia Religionem intrat, in foro externo restitui debet adultero, non obstante exceptione adulterii, prout teste Sanchez lo. cit. n. 5. tenent omnes, arg. c. Item cum quis de Relit. spoliat.

29 Limitatur Conclusio n. 26. posita. I. Casu, quo pars innocens post habitam notitiam adulterii alterius tamen adultero cohabitaret, eique reddat, vel ab ipso petat debitum, nisi id faceret ex mandato Ecclesie. Glossa in cit. c. fin. de Adult. v. Fornicationis. Vallenis h. t. n. 5. cum communi. Ratio est, quia censetur eidem reconciliatus remisit injuriam, arg. cau. 1. 2. & 3. cau. 32. q. 1. & l. Si uxore. s. fin. ff. de Adult. II. Si etiam ipse adulterium committit. Vallenis lo. cit. Ratio est; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur. c. fin. de Adult. & ibi Glossa communitur recepta.

30 Resp. H. Si pars innocens Religionem non ingreditur, sed in saeculo manens adulteram partem a se repellit, non potest hac sine licentia illius Religionem ingredi. Glossa in c. Ex litteris. v. Redire, de Divort. Sylvester v. Divortium. q. 10. Sanchez de Matrim. lib. 10. Disp. 10. n. 12. & 13. D. Bonaventura in 4. dist. 35. q. 5. Pirhing h. t. n. 35. Layman lib. 5. t. 10. p. 3. cap. 7. n. 11. & alii contra nonnullos alios a Sanchez lo. cit. num. 11. citatos. Ratio est; quia Coniux innocens habet jus injuriam condonandi adulterae parti, eamque ad thalamum revocandi, prout ex Jure, rationibus, & copiosa Doctorum autoritate demonstrat Sanchez lib. 10. de Matrim. Disp. 10. n. 3. & seq. quo jure invitus privari non potest.

31 Notandum tamen, quod etsi pars innocens adulteram nec recipere, nec statim licentiam ad profitendam Religionem dare teneatur, arg. c. Gaudemus. 19. h. t. tamen laudabiliter faciat, si propter Deum iterum recipiat, & ut faciat, ab Episcopo diligenter moneri debeat: quod si pars innocens post repetitas Episcopi monitiones, vel exhortationes nocentem recipere recusat, debet ab Episcopo in Monasterium detradi ad agendam ibi poenitentiam, textu claro, cit. c. 10. h. t. in quo etiam profiteri poterit, saltem post biennium, si eam verè emendatam, post repetitas monitiones recipere nolit pars innocens. Barbosa in cit. c. 19. h. t. & ibi Joan. Andreas n. 3. An. horanus n. 2. Sanchez lib. 10. de Matrim. Disp. 19. n. 16. Pirhing. h. t. n. 37. arg. Athen. Sed hodie. C. ad Leg. Jul. de Adult. Ratio est; quia si quis aliquoties monitus post biennium adhuc recusat recipere emendatam, censetur vel tacite dare licentiam, vel irrationabiliter negare, uti notant Doctores citati.

32 Resp. III. Si pars innocens nocenti adulterae tacite, vel expresse dat licentiam Religionem profitendi, vel Ordines suscipiendi, potest nocens hac licentia licite & valide uti, etsi pars innocens adhuc sit juvenis, & in saeculo manens, votum continentiae non emittat. Sanchez lo. cit. n. 15. Pirhing lo. cit. n. 35. & alii. Fundamentum ac ratio est, quam supra allegavimus n. 26. Pariter potest pars adultera Religionem ingredi, & in ea profiteri etiam incia & invitâ parte innocente, si hæc prius Religionem proficitur. Communis ac certa. Ratio patet; quia quando pars innocens Professionem emittit, incapax est revocandi partem nocentem, & eidem conjugali jure cohabitandi; quod solum aliâs Professionis obstaculum esse potest.

33 Resp. IV. Quodcumque vir ob adulterium uxoris ea invitâ potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines sacros in saeculo quoque manens accipere; dummodò aliud non obstat impedimentum, ita con-

tra Innocentium in c. Veniens. h. t. & ibi Joan. Andr. n. 4. Hostiens. n. 8. & 9. & alios docet Glossa in c. Constitutus. h. t. v. Ad gradum. Abbas ibid. n. 4. Navarrus lib. 4. de Sponsal. consil. 23. n. 6. Sylvester v. Divortium. q. 17. n. 20. Sanchez lib. 10. de Matrim. Disp. 11. n. 16. Pirhing h. t. n. 34. cum communi & probabiliori aliorum, arg. cit. c. Constitutus. 15. h. t. Ratio est; quia postquam mulier adultera totum suum amittit jus ad vitam, non est major ratio, cur ea invitâ possit vir profiteri Religionem, & non in saeculo Ordines suscipere.

Nec dicas disparitatem esse, quod uxor adultera post mortem viri Religionem professi possit alteri nubere, non item post mortem viri Ordinibus ordinati, can. Quia sunt. 10. dist. 28. & can. Seriatim. 14. dist. 32. Nec contra est, quod Canones illi loquantur de casu, quo vir de licentia uxoris integrè suscipit sacros Ordines, & non de casu, quo uxore existente adultera didos Ordines suscipit, uti bene advertit Abbas lo. cit. Ratio diversitatis est; quia in primo casu mulier innocens consentiendo ad Ordinationem, censetur se obligare ad continentiam, non autem sic in casu adulterii.

Resp. V. Etiam propter adulterium spirituale, si nempe una pars Coniugum in heresim labatur, vel apostasiam a fide committat potest pars in fide verè remanens, parte spiritualiter adulterante invitâ Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad fidem veram iterum rediit pars adulterans, dummodò separatio ob adulterium spirituale autoritate Ecclesie, & non propria autoritate fiat. Glossa in c. fin. h. t. Pirhing h. t. n. 39. & 40. cum communi aliorum textu claro c. fin. h. t. ibi: Mulier, quæ in fide permansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo judicio Ecclesie fuerat separata, ad Religionem liberè convolare. & c. De illa. 6. de Divort. ibi: De illa, quæ viro suo labente in heresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesie declinavit, videtur nobis, quod mulier &c. ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quæ etiam si reveriti noluerit, compellatur: si verò judicio Ecclesie ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis. Converso Infidelium quid? Ibid.
- 2 Si ambo conjuges infideles convertuntur, possunt, & debent in matrimonio etiam cum impedimento Ecclesiastico contracto permanere.
- 3 Si vir infidelis habuit plures uxores, debet retinere primam, & reliquas dimittere.
- 4 An, & quando conversus alteri nubere possit, si Coniux illius non convertatur? Et n. seq.
- 6 Proles doli incapax Coniugi converso educanda traditur, etsi sit minor triennio. Prolem usque ad triennium mater, post triennium pater aere de Jure debet. Ibid.
- 7 Proles doli capax non potest cogi, ut conversum sequatur. Ad fidem nullus est cogendus invitus. Ibid.

Visto de Conversione Conjugatorum ad Religionem, sequitur præfens Titulus de Conversione Infidelium ad veram fidem Catholicam, de qua etiam cau. 23. q. 1. & 2. item cau. 32. q. 8. cau. un. Et

Est autem hic sermo de Infidelibus propriè talibus, id est illis, qui per Baptismum nunquam fuere subjeti Ecclesie, quales sunt Judæi, Pagani, Sacerdotæ, Turcæ &c. non item Hæretici, licet dici queant Infideles improprie tales. De horum Infidelium Conversione tam Canonice, quam Canones in præfenti, modica tradunt, & non nisi id examinant, quod de Matrimonio, & prolibus eorum in quaestione venire potest. Quod & nos faciemus.

2 Queritur I. Quid Juris de Matrimonio Infidelium, & prolibus eorum, casu quo unus illorum, vel ambo convertuntur ad fidem? An nempe, & quando separari possint, aut debeant? Item cui proles restituenda? Resp. I. Si ambo Coniuges infideles convertuntur ad fidem Catholicam, possint & debent in matrimonio secundu contracto permanere, etsi cum impedimento prædictum Canones dirimente contraxerint, textus expressus est in c. Gaudemus. 8. de Divortis, & ibi Doctores communiter. Ratio assignatur in c. Gaudemus. videlicet, quia Infideles Constitutioibus Canonice non ardentur (quid enim ad nos secundum Apostolum de his, qui foris sunt, judicare) in favorem præferti Christiane Religionis, & Fidei, à cujus perceptione per uxores se deserunt immanes viri possunt facile revocari, si tales hujusmodi matrimonialiter copulari licet possunt, & licet manere conjuncti, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina amittantur.

3 Quod si vir infidelis plures habet uxores, debet cæteris dimissis solam primam retinere, si hæc etiam convertatur, vel saltem pacificè, & sine periculo perversionis cum converso habitare velit, arg. cit. c. Gaudemus, de Divortis, & ibi Barbosa n. 11. Engel h. t. n. 1. & DD. communiter. Ratio est; quia citâ Polygamia Jure Divino sit prohibita, cum sola prima verum ac validam contractat matrimonium. Hinc etiam Barbosa cum aliis Doctoribus bene infert, quod si prima nec se convertente, nec abque periculo perversionis cum converso habitare velit, non teneatur vir conversus aliquam aliâm ex uxoribus habitis retinere, etsi omnes se converterent, sed possit pro libitu alteri nubere.

4 Resp. II. Si unus tantum ex Coniugibus infidelibus ad fidem convertatur, alter verò in infidelitate permaneat, nec amplius, vel saltem non sine perversionis periculo habitare cum converso velit, potest conversus alteri fideli nubere. Certissima apud omnes, teste Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 3. & 4. textu claro c. 7. de Divort. ibi: Si alter infidelium Coniugum ad fidem Catholicam convertatur, altero verò nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secundu, si voluerit, vota transtulit. Advertit tamen bene Engel h. t. n. 2. & alii, quod matrimonium non statim ipso facto dissolvitur, si unus infidelium Coniugum convertitur ad fidem, sed tunc primum, quando conversus ad alias nuptias actu transtulerit: hinc si alter Coniux adhuc infidelis, antequam conversus cum alia contrahat, ad finem quoque convertatur, huic adherere debet, textu claro c. Gaudemus. 8. de Divort. ibi: Quod si conversus ad fidem, & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur, & ibi Glossa v. Compellitur.

5 Utrum autem conversus cum infideli habitare possit, & debeat, vel alteri nubere valeat, casu quo alter Coniux ad fidem se convertere quidem renuit, cum converso verò pacificè, & abque ullo perversionis aut peccati periculo habitare parata est, gravissima est controversia inter Doctores, ut videbitur est apud Sanchez lo. cit. quam controversiam, sicut & reliqua de matrimonio infidelium, nec non Reiffenjuel Jus Can. Tom. III.

hæreticorum examinabimus in Lib. 4. Interea.

Resp. III. Si Coniuges infideles habent unam vel plures proles, & unus eorum convertatur ad fidem, eidem, sive pater sive mater sit, restitui debet proles doli adhuc incapax. Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 37. n. 16. Barbosa in c. fin. h. t. n. 14. cum communi & certa aliorum, textu expresse, can. Judæi. 10. cau. 28. q. 1. & cit. c. fin. h. t. n. 14. ubi inter alias etiam hæc ratio assignatur; quia ita exigit favor Religionis; Nam summa esse rationem, que pro Religione facit, dicitur l. Sicut persona. ff. de Religiosis. & Sumptibus. Nec refert, an minor vel major sit triennio proles; quia licet aliâs attentio Jure proles minor triennio apud matrem, & major triennio apud patrem educari debeat, arg. l. Nec filium. C. de Patria potestat. ubi Glossa propterea illos verficulos ponit.

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem: Majorem verò pascere patris erit. Tamen id fallit in casu Conclusionis ob favorem Religionis, uti bene observat Glossa. fin. in cit. c. fin. h. t. Barbosa lo. cit. Sanchez lo. cit. n. 16. & alii.

Dicitur tamen notanter si doli adhuc sit incapax, quia si doli & rationis jam capax est proles, ejus libertati relinquitur, an convertam, vel infidelem parentem legi velit, uti lo. cit. bene docet Sanchez. Ratio est; quia ad Fidem nullus cogendus est invitus, ut can. Ad fidem. 33. cau. 22. q. 5. dicitur, quod etiam statutum fuit in Concilio Tolitano. q. 6. cap. 56. relato, can. de Judæis. 5. dist. 45. ibi: De Judæis autem præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Ratio subjungitur: Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult inducat; non enim tales invitati salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. In dubio tamen, an proles rationis capax sit, pro favore Religionis judicandum, consequenter proles parenti converso restituenda est. Sanchez lo. cit. Sa v. Matrimonium, & alii, quia summa est ratio, quæ facit pro Religione, cit. l. Sicut persona. ff. de Relig. & Sumptibus. Nec refert etiam Barbosa lo. cit. n. 11. ex Azorio iniqua, & nefanda esse pacta illa, vel quorum proles mascula patri, matris verò femellæ in sua fide educandæ relinquantur, etsi sint hæretici. Verum de hoc plura Lib. 4.

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

SUMMARIUM.

- 1 De Voto Remissivè.
- 2 Hæres tenetur ad vota defuncti realia.
- 3 Et mixta quoad partem realem.
- 4 Non item ad vota personalia.
- 5 Nisi specialiter ad ea se obliget.
- 6 Pœna hæreticis debito tempore non solventis vota defuncti.
- 7 Redemptio voti quid, & quomplex?
- 8 Irritatio voti quid, & à quo fieri possit?
- 9 Superiores Regulares irritare possunt subditorum vota omnia.
- 10 Etiam illa, ad quorum irritationem aliis Religiosis tenetur.
- 11 Non tamen votum intrandi strictiorem Religionem.
- 12 Parentes, & Tutores irritare possunt omnia vota liberorum, & pupillorum impuberum.
- 13 Etiam post suberitatem, nisi ea puberes facta demò rursuscent.

- 14. Quae requirantur ad hanc ratificationem?
- 15. Doctrina practica.
- 16. Possunt etiam puberum vota irritare: & quae?
- 17. Maritus potest irritare vota uxoris.
- 18. Aliqua, non omnia.
- 19. E contra uxor potest irritare vota mariti: & quae?
- 20. Dispensatio votorum quid?
- 21. Sine iusta causa, data vel obtenta, illicita atque invalida est.
- 22. Enumerantur iustae causae dispensandi usque ad num. 26.
- 26. Papa potest in omnibus votis dispensare.
- 27. Idem potest Episcopus.
- 28. Exceptis quinque votis Papae specialiter reservatis.
- 29. Quenam sint illa? Ibid.
- 30. Haec quinque vota non sunt reservata in sequentibus casibus.
  - I. Si non sunt Deo, sed B. V. Mariae, vel Sancto.
  - II. Si sunt ex metu etiam levi iniuste incusso.
  - III. Si sunt penalia.
  - IV. Si sunt sub conditione.
  - V. Etiam si conditio fuerit completa.
- 31. Ubi majus concessum, minus concessum videtur. Ibid.
- 32. Solvitur instantia.
- 33. Non est reservatum votum castitatis ad certum tempus, neque votum non nubendi, non fornicandi &c.
- 36. Circumstantiae voti reservati non sunt reservatae.
- 37. In votis vere reservatis potest dispensare Episcopus, si urgente causa gravi, vel necessitate non est aditus ad Papam.
- 38. Enumerantur similes graves causae.
- 39. Regulares Mendicantes dispensare possunt in omnibus votis, in quibus Jure Divino possunt Episcopi.
- 40. Etiam in reservatis Summo Pontifici urgente necessitate. Et num. seq.
- 42. Doctrina practica.
- 43. Commutatio voti quid?
- 44. In opus melius fieri potest etiam ab ipso vovente.
- 45. Non item in aequale, vel minus bonum.
- 46. Quicumque potest dispensare, potest etiam commutare vota.
- 47. Ad commutandum votum quae requiratur, & sufficiat causa?
- 48. Quid observandum in commutatione voti?
- 49. Vota in favorem tertii emissa, & acceptata possunt irritari, ut alia. Et num. seq.
- 51. Dispensari autem, vel commutari non valent sine consensu tertii.
- 52. Limitatur hoc in duobus casibus.

Quamvis materia hujus Tituli sit etiam Canonica, prout patet ex praesenti Rubrica. Nihilominus quia Theologi tam Scholastici, quam Morales copiose & exacte de ea tractant (de quo etiam in Theologia nostra Morali Tr. 6. dist. 3.) hinc fusio- rem Tractatum Theologis relinquentes, more aliorum Canonistarum nos ea tantum hic examinabimus, quae magis pro Foro Canonico esse videbuntur. Suppositio quid, & quotplex sit Votum, ac quomodo obliget.

Quaeritur I. An haeres teneatur exequi vota defunctorum? Resp. I. Affirmative, si vota sunt realia. Abbas in c. Licet. 6. h. 1. & ibi Barbosa n. 6. Pirhing h. 1. n. 12. Engel h. 1. n. 17. Sanchez lib. 4. Moral. cap. 15. d. n. 25. cum communi aliorum, arg. c. Ex parte. 18. de Censibus ubi deciditur successores teneri ad onera realia antecessorum, & c. Licet. h. 1.

Juncta L. 2. ff. de Pollicit. ubi in fine ita habetur, Qui decimam partem bonorum suorum, si discesserit, ante sepelitionem, haeres illius hereditario nomine obstrictus est; voti enim obligatio (intelligit realis) ad haeres transire constat. Ratio est: tum quia res transiit cum onere suo, per Jura vulgaria. Tum quia juxta dicta supra de Testam. haeres adeundo haereditatem tacite se obligat ad cuncta debita & onera realia defuncti, consequenter ex contractu quem tacite init, sique ex Justitia (non item ex Religionem) obligatur. Notant tamen DD. citati, praesertim Sanchez, Pirhing, quod ultra vires hereditatis obligatio haec se non extendat, consequenter si defunctus ducentos vocit, & massa hereditaria solum in centum consistit, non nisi ad centum obligabitur. Limitat etiam Barbosa Conclusionem in haerede necessario, utpote qui saltem in legitima Jure naturae sibi debita (juxta dicta Tit. de Testam.) onere aliquo gravari non potest.

Resp. II. Pariter tenetur haeres ad vota defuncti mixta quoad partem realem, si haec a personali separari, & independenter ab illa impleri potest: ut si v. g. defunctus vocit peregrinari ad domum Laurentanam, & ibi centum offerre florenos, tenetur haeres ad mittendos centum florenos, licet non teneatur ad peregrinationem, utpote actionem personalem. Barbosa in c. Licet. 6. h. 1. & ibi Abbas, Sanchez lo. cit. Pirhing lo. cit. Engel lo. cit. & communis aliorum, arg. cit. c. Licet. 6. h. 1. tum Juribus, & ratione per Conclusionem praecedenti allegatis.

Resp. III. Ad vota merè personalia defuncti, v. g. jejania, peregrinationes, orationes, mortificationes corporales &c. haeres non tenetur, nisi ad eadem se specialiter obligent. Ita citati DD. cum communi, & certa aliorum. Ratio est: tum quia nullo Jure obligatio solvendi vota personalia imponitur haeredibus: tum quia natura voti personalis exigit actionem personalem ipsius voventis, quae actio, quia post mortem voventis haberi amplius non potest, nullam sui executionem, utpote impossibilem requirit. Hinc etiam docent & communitur, quod neque existente in vivis votum illius personale per alium impleri, & obligatorii ejus satisfieri queat. Quamvis laudabilis ac pia sit consuetudo aliquorum, qui, dum vota personalia per se exequi amplius nequeunt, ea per alios adimpleri curant.

Nec obstat Conclusio c. Licet. 6. h. 1. ubi Papa mandat, votum mixtum etiam quoad partem personalem adimpleri. Nam contra est; quod hoc mandaverit Pontifex non vi voti, sed quia ad eam partem specialiter se obligavit filius haeres, uti patet legenti textum, ibi: Quod cum Pater tuus voventis Domino &c. & tu, te id adimplendum sine dilatione promissisti &c. mandamus, ut exequaris. Hinc notanter in Conclusionem diximus; Nisi ad eadem se specialiter obligent.

Resp. IV. Si haeres vota defuncti, ad quae tenetur, intra annum, postquam fuit monitus, non exequatur, privandus est omni commodo hereditario, arg. Auth. Hoc amplius. C. de Fid. com. & Novell. 1. cap. 1. §. 1. juncto c. 3. & 6. de Testam. vide de hoc, quae diximus supra Tit. XXVI. de Testam. §. 23. n. 794.

Quaeritur II. Quid sit Redemptio voti, & quot modis fieri queat? Resp. Quamvis strictè loquendo Redemptio Voti fiat, quando obligatio voti personalis transferatur in opus reale, elemosinam v. g. vel dedicationem pii loci, uti bene observat Sanchez lib. 4. Moral. cap. 24. n. 1. Sylvester v. Votum. 4. q. 1. ad fin. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 11. arg. c. 1. h. 1. Tamen etiam secundum alios Redemptio Voti (quae est secunda pars Rubricae) aliud non est, quam

quam liberatio à voto nondum soluto: ita ut ille à voto redimi dicatur, qui ab illo solvendo liberatur. Quod fieri potest quadruplici modo, videlicet I. Irritatione voti. II. Commutatione illius. III. Dispensatione. IV. Deficientia aut immutatione materiae seu objecti: sicut etiam deficiente conditione, vel tempore, casu quo votum est temporale, aut conditionale. Communis, patebitque ex sequentibus.

Quaeritur III. Quid sit Irritatio voti, & à quo fieri possit? Resp. I. Irritatio voti est ablatio obligationis ejusdem facta per talem, qui potestatem in voventem, vel in materiam voti habet. Hinc omnis & solus ille irritare potest vota, qui praesatà potestatem gaudet. Sanchez lo. cit. Sporer Tr. 3. in secundum praecipuum Decalogi. cap. 3. sect. 2. n. 12. D. Thomas 2. 2. q. 88. & 89. & communis aliorum: Nec requiritur ad eam alia causa, quam sola voluntas irritantis, arg. can. Euella. 2. cau. 20. q. 2. & can. Manifestum. 11. cau. 33. q. 5. & docent DD. communiter. Ratio est; quia, cum Deus non acceptet vota in praedictum tertii, votum, quae sub potestate aliorum existunt, semper hanc tacitam conditionem habent; Nisi is, sub cuius potestate ago, vel voti materia existit, contradicat, vel quantum non contradicat.

Inferitur I. Quod Superiores Regulares, etiam Moniales irritare possunt omnia & singula vota suorum subditorum. Doctores citati cum Communissima aliorum, praeter Jura & rationes in Conclusionem allatas, facit etiam can. 2. cau. 10. q. 4. ibi: Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit. Ratio est; quia ob votum obediunt Religiosi in omnibus aliis est subiectus Praelato suo; ac ejus arbitrium non ex sua, cum velle & nolle non habeat, sed ex vice illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet, ut dicitur c. Si Religiosus. de Elect. in 6.

Extenditur Conclusio etiam ad vota talium actionum, ad quas quis alias de Jure Divino, vel naturali tenetur, v. g. ad votum non mentiendi, non se jactandi, otiosè nil loquendi, prout contra Cajetanum, & Tamburinum probabilissimè docet Sporer lo. cit. n. 16. Sanchez, Layman, Suarez, Navarrus, & communis aliorum. Ratio est; quia licet Superior non possit talis materiae obligationem ex Jure Divino, Ecclesiae, vel Regulae praecipuo descendente tollere, potest tamen impedire, ne subditus suus novam obligationem sibi imponat, & eam tollere, si imposuit; eò quod velle & nolle non habeat, cit. c. Si Religiosus. de Elect. in 6. Licet tamen & valida sunt talia vota tam diu, donec Superior ea irritet, ut ut cum communi bene docet Sporer lo. cit. n. 15. Layman lib. 4. tr. 4. cap. 7. n. 6. Suarez lib. 3. cap. 6. de Voto. n. 19.

Limitatur autem Conclusio in voto transeundi ad strictiorem Religionem. Communis. Ratio est; quia hic transitus de Jure concessus est, arg. c. Licet. de Regular. & magis diximus supra Tit. de Regular. §. 9.

Inferitur II. Quod parentes, & tutores irritare possunt vota impuberum liberorum, & pupillorum, omnia & singula, quae ab impuberibus adhuc emittuntur, Sporer lo. cit. n. 20. D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 2. cum communissima aliorum. can. 2. cau. 20. q. 2. & can. Mulier. 14. cau. 32. q. 4. Ratio est; quia liberi & clientes in hujusmodi tenera aetate quoad omnem materiam & obligationem sibi imponendam ob iudicii & discretionis imbecillitatem perfectè sunt subiecti parentibus, & tutoribus, adeoque in omnibus votis, pactis, & promissionibus semper tacita illa subintelligitur conditio, si pater, & tutor non contradicant.

Nec refert, quod tempore irritationis jam puberes existant liberi aut clientes, quia etiam tunc irritari adhuc possunt omnia eorum vota tempore impubertatis emissa, dummodò puberes facti, illa denuò non ratificaverint, prout contra Soto, & alios bene docet Sporer lo. cit. cum communi aliorum. Ratio est; quia cum horum votum ab initio fuerit infirmum & irritabile, manet tale, donec novam aliam firmitatem per confirmationem, seu ratificationem, tempore pubertatis acquirat, arg. c. Non firmatur tractu temporis. 18. de R. J. in 6.

Nec sufficit quaevis confirmatio seu ratificatio voti in pubertate facti, sed requiruntur tria ad hoc, ut amplius à parentibus, vel tutoribus irritari non possit. Et quidem I. Ut pubes ratificans, seu confirmans votum sciat, & recordetur, votum prius à se in impubertate emissum, infirmum fuisse, debile, ac irritabile. II. Ut velit de novo se obligare firmiter, ac si nunquam obligatus fuisset. III. Ut ita dispositus, verbo, vel saltem mente votum infirmum repetat. Ut bene docet Sporer lo. cit. n. 22. videatur etiam Gobath de Votis. casu 6. n. 176.

Ceterum colliges, quòd cum vota perpetuae castitatis, vel ingrediendi Religionem, vel in alia materia ab impuberibus puellis ante duodecim nempe annos, vel à masculis ante quatuordecim emissa, in pubertate saepe omnino non, vel certè non cum requisitis conditionibus confirmantur, aut ratificantur, possunt ordinariè solà voluntate parentum, vel tutorum absque ulla causa valide, ac licite irritari: quod bene in praxi notandum. Quod si tamen quis immemor prioris voti in impubertate emissi, aut alias non ex vi prioris obligationis, nec intentione prius votum ratificandi, merè de novo idipsum voveat, utique valebit votum? Juxta Omnes.

Porro possunt parentes, & tutores irritare etiam 16 puberum liberorum aut clientium vota, in pubertate emissa, sed non nisi ea, quae ratione materiae praedictae patriae, vel tutorum potestati in libera & expedita familiae, rerumque suarum, aut commissarum administratione. Communis. Ratio est; quia in dicta materia, non item in aliis subiecti sunt puberes parentum vel tutorum potestati, quae sola facultatem praebet dispensandi, juxta dicta n. 8. Hinc quamvis possit pater vel tutor irritare puberis votum peregrinationes longinquas instituenti, totà die meditandi, vel orandi &c. non tamen potest ejusdem irritare votum perpetuae castitatis, ingrediendi Religionem &c. arg. can. Euella. 2. cau. 20. q. 2.

Inferitur III. Quod maritus quoque irritare possit uxoris vota illa, quae ratione materiae ejusdem praedictae, vel in debito conjugali, vel in re domestica. Communis ac certa, cum Glossa in c. Ex multa. §. In tanta. h. 1. arg. can. Quod Deo. 4. cau. 33. q. 5. & can. Si tu abstinēs. 24. cau. 27. q. 2. Ratio est; quia uxor subiecta est potestati viri in debito conjugali: sicut etiam in iis, quae bonam gubernationem familiae, & rerum familiae administrationem concernunt, juxta illud ad Ephes. 2. Mulieres viris subiectae sint sicut Domino. Concordat can. Malicem. 17. & can. Adam. 18. cau. 33. q. 5. In aliis vero materis vir vota uxoris irritare nequit, ut cum communiori, ac probabiliori docet Suarez lib. 6. de Voto. cap. 4. Innocentius in c. Scripturae de Voto. Layman lib. 4. tr. 4. cap. 7. n. 12. Sporer tr. 3. In secundum praecipuum Decalogi. cap. 3. n. 27. contra Abbatem in c. c. Scripturae. h. 1. n. 8. & alios. Ratio est; quia nullo Jure probari potest, quòd uxor simpliciter, & absolute in omnibus subiecta sit viro, uti subditus Religiosus Praelato suo, & impubes parentibus, aut tutoribus; sed tantum in iis quae concernunt, &

tangunt vinculum, & jura matrimonii, ut bene observant DD. citati.

18 Colliges, quod licet possit vir irritare uxoris votum continentia, multorum jejuniorum, mortificationum in corporalibus, longarum peregrinationum, excessivarum elemosynarum, nimis copiosarum precum, & similibus; non tamen possit irritare illis votum dandi elemosynas moderatas, praesertim de bonis paraphernis, moderatarum orationum, vitandium certum peccatum, vel peccati periculum, vel alterius devotionis non praedjudicialis administrationi familiae &c.

19 Porro sicut vir potest irritare vota uxoris, ita & uxor irritare potest mariti vota, quae vinculo & juribus matrimonii, bonaeque administrationi familiae sunt praedjudicialia arg. c. Ex multa. §. In tanta. h. t. ubi solum excipitur votum viri peregrinandi Hierosolymam in subsidium Terrae S. ut bene ibidem advertit Glossa, v. Viri proter uxorem. Exceptio autem unius Regularum in contrarium, per vulgaria. Ratio autem est; quia etiam in his uxor suo modo habet potestatem in virum, juxta illud D. Pauli 1. Ad Corinth. 7. Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier. Sporer lo. cit. n. 28.

20 Queritur IV. Quid sit dispensatio voti, ex quibus causis, & a quo fieri possit? Resp. I. dispensatio votorum est ablatio, seu remissio totalis obligationis eorum ob justam & rationabilem causam facta ab habente spirituales jurisdictionem in personam votantis. Ita in re communis ac certa. Dicitur Ablatio obligationis loco generis. Additur ob justam & rationabilem causam; quia, uti in Theologia nostra Morali Tr. 2. dist. 4. n. 21. & Tr. 6. dist. 3. n. 49. cum communi aliorum jam diximus, & tenent teste Sporer omnes Doctores, dispensatio etiam a Pontifice, & multo magis ab alio sine justa & rationabili causa facta in votis non tantum illicita, sed etiam invalida est. Ratio est; quia abest seu deest potestas sive jurisdictione dispensandi; nulla enim potestas seu jurisdictione dispensandi in lege Superioris (qualis est potestas dispensandi in votis, utpote quae lege Dei, qui est superior, quovis etiam Pontifice) a Legislatore datur, vel data censetur, nisi justa & rationabili ex causa; cum potestas in lege Superioris, Dei v. g. dispensandi, Ecclesiae data sit in edificationem, & non in destructionem, ut dicit Apostolus 2. ad Corinth. 13. ubi autem abest conditio, sub qua datur dispensandi potestas, deficit ipsa potestas, consequenter & ipsa dispensatio, arg. l. Si quis sub conditione. ff. si quis omnia causa.

21 Et hoc bene advertere debent illi, qui ex Privilegiis potestatem dispensandi in votis habent; ne scilicet sine justa, & rationabili causa dispensent, sicut quavis dispensatio hujusmodi non tantum illicita, sed & invalida foret. Idem est in quavis dispensatione legis Superioris, ut si subinde Rev. Ordinarii ex speciali privilegio in certis legibus Ecclesiasticis dispensandi potestatem habent; semper enim illicite & invalidè agunt, quoties sine vera, & rationabili causa dispensant, uti etiam meminimus in Nostra Theologia Morali cit. tr. 2. dist. 4. n. 21. Id ipsum quoque advertere debent illi, qui vel a Pontifice, vel ab Ordinariis dispensationem votorum impetrant, ne videlicet sine justa causa omni sollicitent, quia illicita semper, & invalida est dispensatio sine vera & justa causa obtenta. Et in hoc differit dispensatio ab Irritatione voti, haec enim, cum nominè, & autoritate propria & non aliena fiat, valida erit, etsi nulla rationabilis causa votum irritandi adsit juxta dicta num. 8. Non sic dispensatio, utpote quae nomine alterius, & quidem Superioris, potestatem sine causa dispensandi nunquam dantis sit.

Resp. II. Causa iusta dispensandi in votis sunt potissimum quatuor, ad quas caterae commodè reduci possunt. Prima est imperfectio actus, ac imperfecta deliberatio; ratione cujus dispensari potest in votis illorum, qui ea in tenera aetate, praesertim ante pubertyatem emittunt, c. 2. h. t. Idem qui in ira, metu, morore, tristitia, aut alia mentis perturbatione oppressi fuerunt.

Secunda causa dispensandi est notabilis, & valde magna exequendi votum difficultas, non tantum ea, quae prius incognita supervenit, sed etiam quae prius jam fuit praesens, eo quod semper longè difficilior appareat res, dum illius instat executio, quam dum a longè providetur; unde merito ad propositum exclamat Tamburinus lib. 2. in Decalog. cap. 16. §. 3. n. 18. O quoties dum mente & cogitatione tantum praestamus, in quacunque magna assurgimus, in quacunque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occursum vrepidamus, & terga etiam volentes vertimus. Ratio est; quia, ut bene advertit Sanchez lib. 4. Moral. cap. 45. n. 41. hoc valide contentaneum est benignitati Dei, praesertim cum ob nimiam difficultatem frequens periculum transgressio sit. Abbas in c. Non est. n. 5. h. t.

Tertia causa est damnum spirituale, corporale, vel temporale occasione voti proveniens. Sic dispensatur in voto castitatis, si vovens ex naturae fragilitate sepi labatur; tali enim in casu votum esset ruina spiritualis labentem duplici semper peccato gravans: item dispensatur, cum eo, qui ratione voti multis cruciatur scrupulis, & anxietatibus; item cum illo, qui ex observatione voti patitur damnum in sanitate corporis: vel si eidem aut suis inde emergat notabile damnum in bonis forturae, ut sit, si mediocri fortunae, vel communis Civis vovet longas peregrinationes, copiosas elemosynas, austeria jejunia, aut alias indiscretas corporis mortificationes, arg. c. 1. & Magnae. b. t. Ratio est, quae supra.

Quarta causa est bonum commune praesertim Ecclesiae, vel Reipublicae: sic dispensatur in tribus votis Religionis, vel etiam voto castitatis ratione Ordinum Majorum tacite emissio, ut possit, qui unicuique haeres est Regni, aut Provinciae, nubere, si praevideatur ita proficuum esse Reipublicae, quae alias ob successionem bellis concuteretur, aut aliis perturbationibus, arg. cit. c. Magnae. & c. Ex multa. h. t. Ratio est, quia bonum commune praesertim dispensandi in votis committit Theologi, quos vide, praesertim Sanchez lib. 4. Moral. Disp. 45. Suarez lib. 6. de Voto. cap. 17. Layman lib. 4. tr. 4. cap. 8. nu. 5. Sporer lo. cit. n. 39. & Canonistas in c. 1. 2. item c. Magnae. 7. & c. Ex multa. 9. h. t. vide etiam quae de his causis diximus in nostra Theologia Morali lo. cit. Dicitur etiam in definitione Dispensationis votorum, ab habente spirituales jurisdictionem in personam votantis: hinc ad tertiam quaesiti partem, de his, qui dispensare possunt.

Resp. III. Summus Pontifex habet a Deo potestatem ac jurisdictionem, ex justa ac rationabili causa dispensandi in quovis voto tam simplici, quam solemnium. Unanimis ac certa Patetque ex praesentia praxi & traditione Ecclesiae, nec non ex illis verbis Christi, Matth. 16. & 18. ibi: Tibi dabo claves Regni Caelorum; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.

Resp. IV. Etiam Episcopi Jure Ordinario habent potestatem dispensandi in cunctis votis suorum subditorum, iis solis exceptis, quorum dispensationem specialiter sibi reservat Summus Pontifex. Rursus communis ac certa, arg. c. 1. h. t. Ratio est; quia Episcopi succedunt Apostolis; quibus dictum

dictum est, Matth. 18. Quaecunque alligaveritis &c. & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in caelis. Verum sicut Apostolorum potestas fuit subordinata potestati DD. Petri, tanquam Vicarii Christi, & Capitis visibilis totius Ecclesiae, ita potestas Episcoporum subordinata est summo Pontifici, tanquam Successori Petri, qui proinde potestatem Episcoporum in actu secundo restringere potest, & actu restricto, reservando sibi dispensationem certorum votorum, de quibus Conclusio sequens.

28 Resp. V. Vota soli Pontifici reservata sunt quinque, videlicet. I. Votum castitatis perpetuae. II. Vota Religionis ab Ecclesia approbatae. III. Votum peregrinandi Hierosolymam ad S. Sepulchrum. IV. Votum peregrinandi Romam ad limina Apostolorum Petri & Pauli. V. Votum peregrinandi Compostellam ad S. Jacobum. Sanchez lib. 4. Moral. cap. 20. n. 6. cum communissimi aliorum. arg. Extravag. Etsi Dominici. 5. de Penit. & Remiss. ubi sub Excommunicatione prohibetur, ne quis sine speciali licentia Summi Pontificis in aliquo d'orum votorum dispense. Verum quia haec reservatio est praedjudicialia juri Ordinario Episcoporum, ideo tanquam odiosa strictè interpretanda erit juxta Communissimam, arg. c. Odis. de Reg. Juris in 6. consequenter tantummodo intelligenda de votis propriè dictis, perfectis, absolutis, determinatis, & quidem praesens quoad substantiam, non item quoad qualitates, vel circumstantias eorum.

29 Inferitur I. Non esse votum reservatum, si ut saepe fit, puella v. g. non Deo, sed B. V. Mariae, vel Sancto alicui promittit perpetuam castitatem, sine reflexione obligandi se Deo. Ratio est; quia non est votum propriè dictum, utpote quod est promissio facta Deo Gobat. de Votis casu 1. n. 21. Sporer lo. cit. n. 59. a iudicet foret si specialiter in honorem B. V. Mariae voveret D. o.

Inferitur II. Non esse vota reservata, quae sunt ex metu etiam levi iniuste incusso. (ex gravi enim metu emissa vota non intelligent dispensatione, sed per se irrita sunt.) Sanchez lib. 4. Moral. cap. 40. n. 30. Navarra cap. 12. n. 59. Layman lo. cit. n. 10. Sporer lo. cit. n. 59. Angelus §. Votum. 4. n. 9. arg. c. Veniens. 5. Qui Clerici 1. & voventes. Ratio est: tum quia tale votum non est omnino perfectum, utpote quod vovens principaliter non emittit amore virtutis, nec principali intentione obsequium praestandi Deo, sed id evitandi & declinandi, quod timuit, tum quia Pontifex non censetur per reservationes suas fovere iniquitatem & injuriam aliorum, quod tamen fovet, si votum ex metu iniuste incusso eiusdem reservaret.

31 Inferitur III. Non esse vota reservata poenalia, qui sub poena; v. g. Si quis dicat, si iterum luxuriosus fuerit, vovero Religionem. Sanchez lo. cit. n. 9. Sporer lo. cit. n. 62. Miñana Tom. 1. q. 48. a. 6. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 8. n. 9. & satis communis aliorum; quibus etiam in Theologia nostra Morali Tr. 6. dist. 3. n. 46. adhaesimus. Ratio est; quia etiam talia vota non sunt omnino perfecta, cum non fiant amore virtutis, seu materiae promissae, sed magis cum animi averfione, aut timore obligationis contrahendae mens retrahatur ab alio crimine. Quod, si tamen fieret in poenam criminis jam commissi, v. g. si quis ita voveret, quia toties fornicatus sum, voveo perpetuam castitatem, utique esset reservatum, uti bene notat Sanchez lo. cit. n. 88.

32 Inferitur IV. Non esse reservata vota facta sub conditione de futuro. v. g. Voveo perpetuam castitatem, si sanitate restitueris; si pavens meus convalescit; si ab hoc periculo, vel tribulatione eripiar; vel si hoc aut illud officium obtineam &c. Et quidem ante

conditionem non esse tale votum reservatum, consequenter in eo Episcopum dispensare posse, fore conveniunt Doctores. An verò etiam post impletam conditionem, sit a reservatione immune? consequenter per Episcopum dispensabile, aliqua est controversia; Layman liquidem lo. cit. n. 10. Herinx Disp. 4. de Voto. q. 6. n. 6. cum communiori aliorum, quos secuti sumus in Theologia nostra Morali lo. cit. docent, post impletam conditionem esse reservatum, eo quod votum conditionatum, sicut quisvis alius contractus conditione impletà transit in absolutum. L. Potior. ff. Qui postores pignore.

Econtra Sanchez lo. cit. n. 98. citans Antonium Gomez in Bullam Cruciatæ clausula 10. n. 99. Toledo lib. 4. Summae cap. 18. n. 11. Ledesma Sayo, & alii docent, etiam post impletam conditionem non esse reservata: eandem prohibentem, ac in oraxi tutam censet Sporer lo. cit. n. 66. estque teste Gomez frequentissimè praxi virorum sapientissimorum recepta: quam & nos, si non probabiliorem, cerè in praxi tutissimam aestimamus, non obstantè, quòd in Theologia nostra Morali lo. cit. priorem sententiam probabiliorem reputaverimus. Ratio est; quia reverà etiam talia vota non sunt perfecta, cum principia- liter nec amore virtutis, nec amore obsequium praestandi Deo, fiant, sed desiderio vel affectu aliquid obtinendi, vel ut quis ab hoc vel illo liberetur, ut consideranti patet. Confirmatur: Ob eandem rationem vota metu levi iniuste incusso emissa, & vota poenalia, etiam post impletam conditionem non sunt reservata juxta ipsos Aduersarios, uti videre est apud Layman lo. cit. ergo ob eandem rationem nec vota conditionata erunt reservata, cum ubi eadem est ratio, eadem sit juris dispositio per vulgaria. Confirmatur ulterius: Votum poenale est magis perfectum, quam votum sub alia conditione, v. g. conservandae sanitate; ergo si illud post impletam conditionem, reservationis experts est, etiam hoc erit, consequenter ab Episcopo dispensari poterit, quia ubi majus conceditur, minus concessum videtur, c. Ex parte. 27. de Decim. Antecedens patet; quamvis enim, ut bene advertit Layman lo. cit. votum poenale principaliter non fiat amore virtutis promissae, utpote à quo vovens adversionem habet, si tamen ordinariè principaliter amore alterius virtutis, & odio vitii certi; sique jam principaliter intentione placendi Deo; eumque non offendendi, uti patet in eo, qui vovet perpetuam castitatem, si adhuc semel fornicatus fuerit. Cum econtra vota sub alia conditione ordinariè nec amore virtutis promissae, nec alterius virtutis fiant, sed amore consequendi aliquid temporale, vel naturale bonum, v. g. sanitatem, officium, aliquid &c. vel declinandi temporale malum, persecutionem v. g. vel aliam crucem, sique valde imperfectè; ergo.

Nec obstat, quòd vota conditionata post adimpletam conditionem transeant in absoluta. Nam contra est: tum quòd etiam vota poenalia impletà conditione transeant in absoluta, & tamen juxta Aduersarios non sint reservata. Tum quia quantumvis fiant absoluta, tamen semper adhuc manent imperfecta ex prima radice, utpote non amore virtutis, nec intentione placendi Deo, sed amore boni temporalis aut naturalis principaliter emissa.

Inferitur V. Non esse reservatum votum castitatis temporalis v. g. ad 10. annos, nec votum non nubendi, nec votum non petendi debitum conjugale, nec votum non fornicandi, vel mulierem non tangendi. Ratio est; quia per votum castitatis reservatum intelligitur sibi castitas perfecta, & perpetua, arg. c. Odis. de R. J. in 6. & tenent Doctores communiter; nunquam inferunt, etiam servandi

virginitatem die *Langfrucht* non esse reservatum, utpote quod semel violatum, amplius servari nequit, & castitas violari possit, v. g. morosa complacencia, abique hoc quod violetur virginitatis integritas, nempe corporalis. Notandum tamen, quod multi simplices inter virginitatem & castitatem non distinguunt; hinc ante dispensationem mens eorum ac intentio erit exploranda.

5 Infertur VI. Non esse reservatas qualitates & circumstantias votorum alias reservatorum: ut si quis voveat pedester peregrinandi Romam: vel voveat strictiorem Religionem, potest Episcopus dispensare, ut ille curru vehatur, & iste Religionem mitigem intret. Herinx *Disp. 4. de Vot. q. 6. Sporer lo. cit. n. 67.* & communis aliorum. Ratio est; quia sola substantia voti censetur reservata, *arg. cit. c. Odis. de R. J. in 6.*

37 Resp. VI. Potest Episcopus dispensare in votis vere reservatis, v. g. perpetuae castitatis, quando adest impedimentum adeundi Summum Pontificem, vel non est facilis aditus ad eum ob paupertatem, vel aliam causam, & gravis urget necessitas maturandi dispensationem. Sanchez *lib. 8. Moral. Disp. 9. n. 22. Roderiquez Tom. 1. q. Regul. q. 63. a. 6. Sylvester v. Votum. 4. q. 4. Navarrus in Manual. cap. 12. n. 76. Layman lib. 4. tr. 4. cap. 8. n. 16. Sporer tr. 3. in 2. Praeceptum Decalog. cap. 3. n. 71.* & communissima aliorum. Ratio desumitur ex epicheia, seu rationabiliter praesumpta mente Pontificis; nam jure optimo praesumi potest, eum nolle in tali causa votum esse reservatum, sed esse contentum, si urgente gravi necessitate recurratur ad loci Ordinarium, ne alias animae laqueis irretitae in tanto versentur periculo.

38 Hujusmodi autem causae graves urgentes possunt esse variae. Et quidem I. Si in perpetuo voto castitatis est periculum incontinentiae, ob quod in dicto voto caeteroquin reservato dispensare potest Episcopus, si ex mora adeundi, dictum periculum revera subsistit, prout notant citati Doctores, praesertim Sanchez *lo. cit. n. 22.* quia in tali casu vere dici potest, quod ad propositum facilis non sit aditus ad Papam. II. Quando urget periculum scandalum, aut alterius gravis mali. III. Quando contrahendum matrimonium differri nequit sine gravi sponsi, vel sponsae, vel eorum familiae dedecore: si puella deflorata, prolesque nascenda infamanda sit: maxime si sponsus, aut alias delinquens sit morti jam proximus, & nisi gravidam ducat, nascendae sint proles illegitimae, vel orientur graves discordiae inter cognatos. Doctores citati, praecipue Sanchez *lib. 2. de Matrim. Disp. 40.* Circa dispensationem tamen in voto castitatis, quatenus est impedimentum matrimonium impediens, intellige, si votum est occultum, ut ipse faretur Sanchez, & magis dicemus *Lib. 4. de Sponsal. & Matrim. arg. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 6. de R. form.*

39 Resp. VII. Omnes Confessarii Ordinum Mendicantium possunt dispensare in iis votis, in quibus jure ordinario dispensare possunt Episcopi, consequenter in omnibus & singulis, exceptis quinque reservatis Summo Pontifici *num. 28.* enarratis: imò etiam in his, casu quo ex aliqua causa non sunt reservata, juxta dicta *num. 28.* Herinx *lo. cit. n. 65. Sannig h. t. cap. 45. n. 8. Sporer in 2. Praeceptum Decalog. cap. 3. sect. 3. n. 54. Sanchez lib. 4. Moral. cap. 43. n. 2.* & communis aliorum. tam T. T. quam Canonistarum. Patetque clarè ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, ut Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII. ut videre est Compendiis privilegiorum, Dominicanorum, Minorum, Carmelitarum, & Societat. Jesu. Amplia, etsi quorundam votorum reservationem

specialiter sibi reservavit loci Ordinarius, uti expressè sonant privilegia; licet enim non possint Regulares abolvere à casibus Episcopi reservatis juxta novissimum Decretum Alexandri VII. contrarium sententiam damnantis, possunt tamen dispensare in votis eidem reservatis; cum longè alius sit dispensare in votis, quam solvere à peccati. Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 8. n. 17.*

Limitant tamen Doctores aliqui Conclusionem in illo casu, quo Episcopus in voto aliàs reverà reservato dispensat urgente gravi necessitate, juxta dicta *n. 38.* quia, aiunt, Confessarii Mendicantium vi privilegiorum tantum dispensare possunt in iis votis, in quibus Episcopi possunt jure ordinario, non item in iis, in quibus Episcopus dispensare potest solo jure extraordinario, vel delegato, ut est in proposito. Verum, alii, ut Herinx *lo. cit. n. 69. Croulers in c. 7. Regul. S. Francis. Lect. 29. Basserus & alii apud citatum Herinx rejiciunt hanc limitationem, quorum opinio omnino probabilis pro foro interno videtur, uti sequenti argumento patet. Juxta communem etiam Adversariorum possunt Confessarii Mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus jure Ordinario dispensare potest Episcopus; atqui hic potest urgente necessitate dispensare in votis aliàs reservatis; ergo. Majorem concedant Adversarii, patetque clarè ex Privilegiis. Minor probatur; quia Episcopus urgente necessitate vel dispensat ratione Officii, vel ideò, quod tali casu votum non censetur reservatum, juxta dicta *num. 35.* vel vi universalis consuetudinis, per quam constat, Episcopos urgente necessitate posse dispensare: quocumque tandem modo dispenset, jure Ordinario dispensat: & quidem si primo & secundo modo, non est dubium: si tertio modo, vi consuetudinis nempe, inde patet; quia consuetudo dat Jurisdictionem ordinariam, prout pluribus demonstrat Sanchez *lib. 8. de Matrim. Disp. 12. & diximus in Lib. 1. Decret. Tit. 29. de Offic. & potest. Judicis Delegat. n. 11. arg. l. More majorum. & l. Et quia. ff. de Jurisdic. omnium.**

Confirmatur: Jurisdicção & potestas, quae Episcopi urgente necessitate in votis dispensant, non est delegata, ergo Ordinaria. Probatur Ant. Jurisdicção delegata est, quae nec ex lege, nec ratione Officii, nec ex consuetudine, sed ex specialis commissionis alterius competit; ut cum communi dictum est *cit. Lib. 1. Decret. Tit. 29. de Offic. & potest. Judic. Delegat. n. 12.* atqui nullibi in toto Jure haec specialis commissio Episcopis tanquam delegatis facta ostendi potest; ergo, cum nihilominus dispensent, jurisdictione seu jure Ordinario dispensare censendi sunt. Hinc etiam minus rectè haec Episcoporum potestas, vel jurisdictione dicitur extraordinaria, ex eo, quod sit circa casus non ordinariè, sed extraordinariè contingentes; cum etiam circa hos detur reverà potestas Ordinaria: sicut in proposito, ubi in praesatis casibus extraordinariè Episcopus habet dispensandi potestatem Ordinarium ratione Officii, vel consuetudinis, vel quia non sunt reservati. Et per haec patet ad fundamentum Adversariorum.

Infertur, quod Regulares dispensare possunt, non tantum in omnibus casibus, in quibus vota caeteroquin reservata talia non sunt, vel cessant essentialia, juxta dicta *n. 29.* sed etiam in votis vere reservatis, v. g. in voto perpetuae castitatis; quando ex mora adeundi Pontificem prudenter timetur periculum incontinentiae, gravis scandalum, aut alterius gravis mali: item si urget necessitas maturandi matrimonium juxta dicta *num. 38.* Quod ultimum tamen de Dispensatione, urgente necessitate intellige pro foro interno; quia pro foro externo neutquam

quem praedicanda à Regularibus est haec doctrina, praesertim cum juxta communem nec Episcopus in voto castitatis ad contrahendum matrimonium dispensare valeat pro foro externo, five si votum tanquam impedimentum est publicum, uti magis dicitur infra *Lib. 4.*

43 Queritur V. Quid sit Commutatio voti, & à quo fieri possit? Resp. I. *Commutatio voti est translatio obligationis à materia voti prius facti in aliam materiam priori subrogantem.* Ita in re committis ac certa. *arg. c. 1. q. 4. & alii, h. t.* patetque ex terminis: sic fit *Commutatio*, si Confessarius mutat poenitentis votum peregrinandi, in votum jejunandi. Potest autem fieri talis *Commutatio* vel in opus melius, vel aequale, vel minus bonum, ut statim patebit.

44 Resp. II. *Commutatio voti* in opus evidenter melius à quovis etiam ipso vovente, & quidem propria auctoritate abique ulla causa fieri potest. Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 49. Navarrus cap. 12. n. 75. Layman lo. cit. n. 19. Covarruvias de Pacl. p. 1. §. 3. n. 4. Sporer lo. cit. Sect. 3. n. 1. cum communi, & hodie receptissimum aliorum contra D. Thomam *q. 4. dist. 38. q. 1. a. 4. Joan. Andream in c. Pervenit de Jurjur. & ibi Abbatem, & alios volentes requiri Superioris auctoritatem. Probatur autem Conclusio nostra ex c. Scripturae. q. 4. h. t. ibi: Reus in *Commutatio* aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noleat observantiam commutare. Ratio datur c. 3. de Jurjur. illis verbis: Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud mutat, ubi, ut vides, nulla requiritur auctoritas Superioris, aut justa alia causa. Limita Conclusionem in quinque votis reservatis Papae, utpote quae sine auctoritate Pontificis etiam in melius commutari nequeunt per dicta superiorum, nisi in Professionem Religiosam *arg. cit. c. 4. h. t.***

45 Resp. III. *Commutatio voti* in opus aequale, vel minus bonum, arbitrio voventis fieri nequit, sed fieri debet auctoritate Papae, Episcopi, vel alterius jurisdictionem habentis. Sanchez *lo. cit. n. 19.* & communior aliorum, *arg. c. 1. b. t. ultiorum probationem vide in Theologia nostra Morali lo. cit. n. 34. & apud Theologos passim.*

46 Resp. IV. Quicumque habet potestatem dispensandi in votis, habet etiam potestatem eadem commutandi; non tamen e contra. Communis ac certa. Ratio patet; nam *Commutatio* quod est plus, licet utique quod est minus, c. *Qui. 53. de R. J. in 6.* atqui plus est *Dispensatio* in voto, quam *Commutatio*; cum per illam obligatio poenitentis tollatur, per istam vero tantum in aliam transferatur; ergo. Infertur proin, quod Papa in omnibus, Episcopus vero, & Regulares Mendicantes in cunctis (exceptis quinque reservatis, nisi urgeat necessitas, juxta dicta *num. 38.*) votis *Commutatio* facere possint, nisi in favorem tertii facta sint; juxta dicenda infra *num. 51.*

47 Reliqua de *Commutatio* voti vide apud Theologos citatos, & citandos infra. Solammodò breviter hic notandum, quod licet *Commutatio voti* fiat in opus aequale, vel minus, adest etiam debet aliqua causa, saltem ut licite fiat, *arg. c. 1. h. t. & ibi Doctores,* tamen tanta non requiritur causa, quanta ad *Dispensationem*, sed sufficiat minor. Et quidem ad commutandum votum in opus aequale, vel quasi aequale, vel notabiliter minus, sufficit quavis causa rationalis, etiam sola v. g. major voventis propensio, seu devotio in aliud opus: item utilitas, & consolatio ipsius voventis; ut proin raro desit causa sufficientes ad commutandum votum in aequale, vel quasi aequale, juxta communem Doctorem apud Sporer *lo. cit. n. 118. Lessium lib. 2. cap. 40. n. 109. Dianam p. 1. tr. 11. Resolut. 40. Tamburinum, &*

alios. Ad commutandum vero idem in opus notabiliter minus, major requiritur causa: qualis est gravis difficultas in exequendo: voventis fragilitas aut periculum labendi: anxietas & scrupulositas ex voto proveniens, & universaliter omnes illae causae, quas supra ad dispensandum sufficere diximus, etsi in eodem genere tam magne & graves non sint, ac requirantur ad Dispensationem Sporer *lo. cit. & alii.* Ratio est; quia *Dispensatio voti* est totalis, *Commutatio* vero tantum partialis extinctio obligationis, consequenter haec minorem, quam illa causam exigit.

Notandum II. In emergenti casu votorum, non debere dispensari, quamdiu *Commutatio voti* sufficere videtur, ad amovendam causam, ob quam ratio voti, auxilium & consolationem querit vovens, *arg. c. 1. h. t.* Dein quando fit *Commutatio*, debent, quantum possibile est, fieri in opus aliud aequale, vel quasi aequale, id est, non notabiliter minus, nisi circumstantiae, & causae graves aliud exigant; ubi tria praecipue attendere debet *Commutans*, videlicet, quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem; & quid expediat secundum utilitatem, ut ait Pontifex c. *Magne. 7. h. t.* Ulterius attendere debet, ut nisi circumstantiae & causae aliud exigant, votum reale commutat in aliud reale, personale in personale, mixtum in mixtum & vide Doctores citatos.

Queritur VI. An etiam, & à quo fieri possit Irritatio, Dispensatio, & Commutatio votorum in favorem tertii, v. g. Ecclesiae, Monasterii, pauperis emisorum? Resp. I. Antequam acceptentur haec vota ab illis, in quorum favorem emittuntur, idem est discurrendum de illis, ac aliis. Communis ac recepta sententia. Ratio est; quia ante acceptationem nulli acquiritur jus, hoc autem absente non est disparitas inter has & alia vota.

Resp. II. Vota in favorem tertii emissa etiam accepta, eodem modo & ab iis irritari possunt, quo modo, & à quibus alia irritantur. Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 8. n. 21. Miranda Tom. 1. q. 43. a. 4. Sylvester v. Votum. 4. q. 7. Navarrus cap. 12. n. 78.* & communis aliorum. Ratio est; quia vota emissa ab iis, qui sub aliorum potestate existunt, semper habent tacite inhibitam illam conditionem, *Nisi is, sub cujus potestate enfito, v. g. pater, tutor, maritus &c. Praelatus contradicat,* juxta dicta supra *nu. 8.* quae contradictione tanquam conditione evanescit, per se atque evanescit, vel saltem irritari potest votum.

Resp. III. Vota in favorem tertii emissa & acceptata, ordinariè nec dispensari, nec commutari possunt absque consensu illius, vel illorum, in quorum favorem facta sunt. Sanchez *lib. 4. Moral. Disp. 41. n. 13. & 18. Sporer lo. cit. n. 102.* cum Communi. Ratio patet; quia promissio acceptata cadit in debitum, paritque promissario jus, per vulgaria: quo jure invito spoliari nequit.

Dixi, Ordinariè, quia limitatur Conclusio I. In casu, quo bonum commune aliud exigit; quia tunc ingerum est Pontifici privatum jure suo privare, cum bonum privatum semper cedere debeat bono communi. Sanchez, & Layman *lo. cit. II.* Si fit quidem in favorem tertii, sed non propter favorem illius, sed principaliter ob honorem, & cultum Dei, v. g. vovet quis ita: *Domine Deus promitte, vel voveo, quod ad tuum honorem vltim hunc pauperem sustentare; illam Ecclesiam ornare &c.* Sanchez *lo. cit. n. 6. Sporer lo. cit. n. 113. Fagundez Tom. 1. in Decalog. lib. 2. cap. 29. Sylvester lo. cit. & laus communis aliorum.* Ratio est; quia cum haec vota principaliter fiant ob honorem Dei, solus Deus creditor est; Ecclesia vero vel pauper tantum materia, circa quam

cultus Dei exhibendus, consequenter ad dispensandum vel commutandum solus sufficit Dei, & Praelatorum ejus vices gerentium consensus, uti in aliis votis. Accedit, quod in tali voto honor & cultus Dei sit finis principalis, utilitas tertii vero solum secundarius, si tempore major Dei cultus ex Dispensatione vel Commutatione voti confurgit; ergo hic propter illum cedere debet, ut accessorius, prout fit, si fiat Commutatio, ut magis egens sustentetur, vel Ecclesia magis indigens ornatur. Aliud foret, si votum seu promissio fieret simul tertio & Deo, uti bene advertit Sanchez lo. cit. n. 18. Reliqua de votis vide apud Theologos jam citatos, praesertim Sanchez toto lib. 4. Moral. per totum in 56. Disputationibus consistente, ubi nihil intactum relinquit, Sporer tr. 3. in 2. Praeceptum Decalog. cap. 2. per totum, ubi more suo pulcherrima pro praxi offert. Layman lib. 4. tr. 4. Summistas v. Votum, & alios Doctores passim, cum vix sit, qui votorum materiam non bene examinet. Vide etiam, quae diximus in Theologia nostra Morali Tr. 6. dist. 3. de Voto.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

1 De materia hujus Tituli multum non dicitur.

Quando quidem in hoc Titulo plura statuuntur, Monachos, & Canonicos Regulares specialiter concernentia, quae partim per consuetudinem, partim per privilegia, partim per statuta particularia fuere immutata, multa de materia hujus Tituli dicere non expedit; praesertim cum ea, quae de Jure communi adhuc vigent, in Tit. de Regularibus, jam fuerint examinata, ubi etiam de quidditate Status Regularium ut sic, & Monachorum, atque Canonicorum Regularium egimus, naturam eorum, & differentias inter eosdem declarando. Hinc aliqua tantum, quae ibi desiderantur, hic afferentur, praecipue de peculio Religiosorum & Clausura eorum utpote de quo specialiter c. 2. 4. & 6. h. i. agitur.

S. I.

De Peculio, & Paupertate Religiosorum.

SUMMARIUM.

- 2 Peculium Regularium dupliciter sumitur.
- 3 Proprie tale Religiosi in privato habere non possunt.
- 4 Bene tamen improprie tale cum licentia Superioris.
- 5 Si sint deputati Officiales, seu Administratores rerum Monasterii, secus non, usque ad n. 16.
- 6 Redditi annui immobilium reputantur.
- 7 Usufructuarius est dominus fructuum.
- 12 Decreta Apostolica non recepta, an, & quantum obligent.
- 15 Communitas in Monasteriis ubi non servatur Regularis disciplina desinit.
- 16 Contra paupertatem peccat etiam ille, qui de licentia Superioris retinet superflua, vel superflue expendit.
- 17 Proprietarius tamen non est.
- 18 In dubio, an quid superfluum, vel incon-

- niens sit, sicut iudicio Superioris.
- 19 Qui sine licentia Superioris aliquid accipit, retinet, vel expendit, peccat contra paupertatem.
- 20 An, & quando sufficiat licentia praesumpta?
- 21 Proprietarii pena. Et num. seq.
- 23 Quid Juris de Legatis sacris Religiosis hac conditione, ut ad eum, & non Monasterium pertineat? usque ad num. 26.

Ueritur I. An, & quomodo prohibitum sit, vel concessum Monachis, & aliis Religiosis habere peculium, vel proprium? Ante Responsionem notandum Peculium ad propositum esse proprie, aliud improprie tale. Per Peculium proprie tale intelligitur Patrimonium, vel bona propria alicujus, de quibus tanquam de re sibi propria pro libitu disponere potest habens illud. Per Peculium vero improprie tale intelliguntur bona quoad administrationem & usum. Ita post Navarrum in Commentar. can. Non dicitur. 12. q. 1. n. 47. Fagnanus c. 2. h. i. n. 2. Pishing cod. n. 5. Hoc notato,

Resp. I. Nullus Religiosus in particulari etiam cum licentia, ac dispensatione Superioris potest habere Peculium, vel proprium striete tale. Omnes patetque passim ex Jure, praesertim ex c. Cum ad Monasterium. h. i. ubi ad finem etiam ratio additur illis verbis: Quia abdicatio proprietatis adeo est annexa Regulae Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere: quamvis ex Monacho possit facere non Monachum, juxta dicta superioribus. Dicitur autem notanter in particulari, quia proprium in communi habere possunt omnes Religiosi exceptis Fratibus Minoribus Regularum ad litteram observantibus, texta expresso Concilii Tridentini Sess. 25. de Regular. cap. 3.

Resp. II. Possunt Religiosi cum licentia Superioris habere Peculium improprie tale, seu administrationem Peculii, seu bonorum pro bono & utilitate Monasterii: siye, quod idem est, possunt Religiosi a Superioribus desuper constituti Officiales & Administratores Peculii, seu bonorum Monasterii pro utilitate ejusdem, ita tamen, ut ad nutum sint amovibiles. Kursus Unanimis claris Juribus c. 2. §. Quid vero. h. i. & Concilii Tridentini lo. cit. cap. 2. ibi: Administratio autem bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertinet.

Resp. III. Nullus Religiosus (nisi sit Officialis, seu Administrator bonorum Monasterii pro utilitate ejusdem) etiam de licentia Superioris potest habere Peculium immobile, seu Administrationem bonorum immobilium, nec annuos redditus, seu provisiones annuas, etiam si non sint superflui, & revocabiliter concedantur, expendendi interim in usibus honestos & licitos pro utilitate vel necessitate, v. g. ipsius Religiosi. Ita latissime ac solidissime Fagnanus inc. 2. h. i. & ibi Hostiensis, Joan. Andreas v. Nisi ab Abbate. Anchoran. n. 2. Felinus in c. Cum M. de Constit. & plures citati a Fagnano lo. cit. ubi ad finem recapitulando dicta, tenorem Conclusionis ponit, ac novissime Hyacinth. Donatus Tom. 4. tr. 13. q. 10. ubi plures alios citat. Est autem contra Navarrum de Statu Monach. consil. 14. Roderiquez tom. 2. p. 125. a. 4. & tom. 3. q. 29. a. 10. Sanchez lib. 7. Mor. cap. 22. n. 11. Probatur conclusio ex cit. 2. h. i. ubi Religiosus omne prohibetur Peculium nisi ab Abbate fuerit eis, NB. pro injuncta administratione permissum. Ubi notanda verba, nisi eis pro injuncta administratione fuerit permissum; per haec siquidem verba innuitur, solis illis licitum esse Peculium improprium, quia circa temporalia administrationis Officium habent, quales sunt Cellarii, Elemosynarii, Granarii, Vestitarii,

S. I. De Peculio, & Paupertate Religiosorum.

vestitarii &c. non item alii temporalium administrationis Officium non habentes; est circa spiritualia sint Officiales, ut bene notant Doctores citati.

6 Probatur Conclusio ulterius ex Concilio Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 2. ubi pro Conclusionem statuitur: Non liceat deinceps Superioribus bonis stabilibus alicui Regulari concedere etiam ad usufructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertinet. Ex quibus verbis plane evidenter apparet, quod etiam de licentia Superioris nullus praeter Officiales, bonorum immobilium administrationem, vel usufructum eorum habere possit; ibi: Non liceat Superioribus concedere: & ad solos Officiales pertinet. Item est de redditibus & provisionibus annuis: eod quod redditus annui inter mobilia censatur a Jure, ut dicitur Clem. 1. §. Cumque annui. de V. 3.

7 Nec dicas cum Navarro, & aliis per Concilium Tridentinum tantum prohiberi, ne Superiores Peculium late sumptum aliis praeter Officiales concedant sine causa rationabili, vel ad usus profanos, aut illicitos, aut irrevocabiliter; non item prohiberi, quod eidem concedant ex causa rationabili ad usus licitos, pro veris necessitatibus ipsius Regularibus v. g. Nam contra est: tum quia Concilium indistincte loquitur, consequenter indistincte intelligi debet, cum ubi Jus non distinguit, nec non distinguere debeamus, pro vulgaria: tum quia gratis tantum, & absque ullo fundamento ad improprium sensum interpretari videntur Advertiseri textum Concilii. Nec enim valet, quod Navarrus adducit, videlicet, ut Concilium Tridentinum concordetur cum Concilio Lateranensi relato cit. c. 2. h. i. quia tri ex num. 5. patet, & ad longum demonstrat Fagnanus lo. cit. Concilium Lateranense cit. c. 2. h. i. relatum, non id, quod Advertiseri, sed quod Concilio nostro dicit, asserit. Tum quia ex hac interpretatione sequeretur, quod Officiales possent bona Monasterii ad usus superfluos, vel illicitos applicare, cum Concilium lo. cit. Officialibus concedat, quod caeteris negat: ergo si caeteris solum negat administrationem bonorum ad usus illicitos, aut superfluos, hanc Officialibus concedit; nam exceptio unius firmat Regulam in aliis, arg. c. Nonne. 5. de Praesumpt.

8 Tum etiam quia contrarium novissime statutum habetur a Clemente VIII. in Constitutione. Nullus omnino, quae est in Bullario Cherub. 9. dicti Pontificis, & ab Urbano VIII. in sua Constitutione 23. Tom. 4. apud Cherub. in qua de novo renovatur Constitutio Clementis VIII. ubi inter alia §. 3. ita habetur: Neque Superioribus, quicunque illi sint, ullo pacto liceat (NB. ullo pacto) fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usufructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam de p. sui aut custodia nomine concedere; & infra: Nulla quorumcumque Superioribus dispensatio, nulla licentia (NB. nulla, nullus; ergo neque ex justa causa ad usus licitos) frates excusare possit, quo minus cupit & p. sua &c. obnoxii sint; etiam NB. Superiores asservent: h. jusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidei adhiberi, minime volumus.

9 Probatur Conclusio etiam ratione: videlicet, quia Regularis non Officialis habens administrationem bonorum immobilium, aut reddituum annuorum pro suo, aut aliorum usu licito, tenetur habere verum jus utendi & fruendi, verumque usufructum, L. 1. ff. de Usufruct. & Quenamodum, est, quae usufructuarius item qualicatus; aut utarius autem est dominus fructuum, l. Arboribus. ff. cod. ratione cujus Regularis sequi incapax est

usufructus ac proprietatis, Cl. m. Expi. de V. S. §. Proinde Fagnanus lo. cit. n. 21. & n. 42. Secus est in Officiali ad ministratore; quia hic est administrator in utilitatem Monasterii duntaxat, nec potest de fructibus illius dispensare, nisi in utilitatem ejusdem, cui omnia acquirit, & lucratur, & cui omnia sua opera debita, utpote cui fe cum omnibus suis per Professionem tradidit, arg. c. In praesentia. de Probat. cum Concordantiis.

10 Probatur denique pluribus Declarationibus Cardinalium S. Concilii Interpretum editis contra Advertiserios pro nostra Conclusionem, quas vide apud Fagnanum lo. cit. Donatum lo. cit. Quaranta §. Casus reservatus.

11 Inferunt: Omnes sequentes modos de Jure peccaminosos esse, & contrarios paupertati. I. Si Novitius, vel Novitia in actu renuntiationis bonorum, vel in actu Professionis reservet sibi annuos redditus, seu annuam pensionem pro suis Religiosis necessitatibus, etiam si cum licentia Superiorum id fiat.

12 II. Si parentes, vel consanguinei alicujus Religiosi, titulo institutionis aut legati reliquant Monasterio bona immobilia, aut annuos redditus ea conditione, ut administrationem dictorum annuorum, aut bonorum immobilium ex toto, vel ex parte relinquunt certo Religioso, ut hic eos possit convertere in suos usus, aut necessitates. Idem est, si Religiosus ex pecuniis lectione, praedicatione, donatione, aut alio modo acquisitis similes census annuos pro suis necessitatibus vel a saecularibus, vel a Monasterio comparet, dando eidem acquisitas pecunias hac conditione, ut singulis annis sibi aliquid certum detur pro parandis necessitatibus. Ita siquidem in casibus specificis declaravit saepius Sacra Congregatio, ut videre est apud citatum Fagnanum n. 1. & n. 61.

13 Eodem loco n. 62. idem Fagnanus refert ad propositum & aliam Declarationem illis verbis: Cum Archiepiscopus Urbini revulisset S. Congregationi, se non potuisse adducere Moniales cujusdam Monasterii ad suscipiendam ex eorum vitam communem; adeoque illis proposuisse, ut fieret communis arca, cujus clavus penes Abbatissam esset, & intus opiantur tot jerniola, quot essent Moniales, ita ut unaquaque haberet clavulam jerniola sui, & in ea asservaret pecuniam ex laboribus, vel aliunde partam, qua in ipsius tantum, & non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio Abbatissae S. Congregatio hoc temperamentum iudicium existimavit. & repugnans c. 2. h. i. quod jubet, ut omnia Superiori tradantur, & Conventui incorporentur; adeoque mandavit Archiepiscopo, ut quandiu Moniales communem vitam non susciperent, interdiceret illis receptionem puellarum ad habitum, & Professionem.

14 Nec dicas Decretum Trident. sicut & reliqua Decreta Pontificia allegata in tanto rigore non fuisse ita recepta, vel certe consuetudine in contrarium in plurimis Monasteriis praesertim Monialium abrogata. Nam contra est, quod non receptio Decretorum Apostolicorum, & consuetudo illis contraria minime efficiant, quin adhuc obligent, nisi per tempus quadraginta annorum cum scientia & patientia Papae fuerit contraria, ut vult Fagnanus lo. cit. n. 75. & late demonstrat in Tit. de Treug. & Pace. n. 31. vel saltem per decem annos, prout cum aliis docuimus Lib. 1. Tit. 4. de Consuetud. n. 105. & 106. Ex quo inferunt alqui, ut Pishing h. i. n. 6. in illis solum Monasteriis sententiam Navarri, & aliorum subsistere, in quibus debito tempore viget consuetudo, quod videlicet Regulares etiam non Officiales de licentia Superiorum ex justa, & rationabili causa habeant administrationem bonorum immobilium, vel certos